



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

10. Efficaciter probatur ab inconvenienti nostra conclusio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

& vnio inter ipsas : ergo non est conditio necessaria ad illas : ergo neque est conditio necessaria ad essentiam existentem, quæ est idem quod effectus formalis existentie, v. g. si actio Dei non esset conditio necessaria ad disgregatiuū visus non esset conditio necessaria ad album, sicut si actio Dei non esset conditio necessaria ad corpus, animam rationalem & vnionem inter ipsa etiā non esset necessaria ad hominem, qui est idem cum illis : sed per vos essentia, existentia, & vnio eorum est idem quod effectus formalis existentie, & actio Dei non est conditio necessaria ad essentiam, existentiam, & vnionem : ergo non est conditio necessaria ad essentiam existentem se ad effectum formalem existentie.

182 Secundo impugnatur eadem solutio euidenter : ideo per vos ab æterno non existit res, & existit in tempore quia in tempore datur actio agentis ; sed etiam ab æterno fuit actio agentis : ergo ab æterno fuit res existens v. g. Angelus Michael. Maior est solutio quam impugnamus : minor probatur manifeste, quia ab æterno fuit essentia, & existentia actionis propter eandem rationem, quia id probant aduersarij in essentia & existentia hominis, quia quæstio, vt constat ex notabili, procedit de omni essentia, & existentia creata, & de actione est verum dicere quod est ens reale, & quod habet essentiam necessariam æternæ veritatis, & reliqua argumenta Albertini : ergo ab æterno fuit actio : ergo & res existens. Patet consequentia, quoties datur aliqua forma in aliquo subiecto cum omnibus conditionibus necessario datur effectus formalis ; sed ab æterno fuit existentia in subiecto cum omnibus conditionibus : ergo ab æterno fuit effectus existentie quod est res existens.

181 Dices quod deficit illi aliqua conditio scilicet tempus, quia ab æterno nulla res creata potest existere.

183 Sed contra primo, quia etiam ab æterno debuit esse tempus secundum essentiam, & existentiam propter eandem rationem, quia est ens reale, & omne ens reale per vos fuit ab æterno secundum esse essentie, & existentie. Contra secundo : ergo in hoc tempore non solum dantur Angeli producti, sed etiam omnes qui à Doctores dicuntur possibiles, & posse produci à Deo, hodie, hac hora &c. Patet consequentia, quia ideo non fuerunt ab æterno existentes, quia deficiebat conditio temporis : sed nunc non deficit : ergo nunc sunt existentes omnes Angeli possibiles qui à Doctores dicuntur posse existere ; quod est falsissimum, & eodem modo impugnantur omnes solutiones quæ possunt dari, videlicet quod deficiat vnio inter essentiam, & existentiam, & relatio prædicamentalis inter illas, quia etiam illa vnio vel relatio fuerunt ab æterno, quia sunt entia reali secundum essentiam, & existentiam : ergo nihil deficit ad hoc vt res existat ab æterno. Præterea qui responderet quod Deus solum produxit vnionem inter essentiam, & existentiam eodem modo sunt impugnandi, quia etiam illa vnio fuit ab æterno, & actio producens illam vnionem fuit ab æterno : ergo deinde quid absurdius potest excogitari quam dicere quod Deus in productione Angeli eodem modo se habet sicut homo in productione alterius hominis qui solum producit vnionem, imo si aduertatur secundum hanc sententiam Deus minus facit quam homo, quia homo in mea sententia producit essentiam, & existentiam vnionis, & secundum aduersarios neque producit essentiam neque existentiam vnionis ; sed solum coniungit essentiam vnionis cum existentia vnionis ; vnde solum facit modum vnionis, & non vnionem ipsam eo modo quo facit homo. Deinde,

quia multi ex aduersariis negant in vnione dari vnionem distinctam quæ vniat essentiam, & existentiam ipsius vnionis ne deur processus in infinitum : ergo in hac sententia nihil producit Deus, quidem neque producit essentiam vnionis, neque existentiam illius : ergo nihil est quod producat Deus.

Imo etiam concedant aduersarij dari vnionem distinctam inter essentiam, & existentiam vnionis ; iterum redit idem argumentum, quia Deus non producit illam secundam vnionem, quia neque producit essentiam, neque existentiam illius propter rationes dictas : ergo nullo modo producit illam vnionem : ergo nihil producit Deus : ergo minus facit quam homo ; neque potest recurri ad tertiam vnionem, quia idem argumentum currit de tertia, ac de secunda, & prima.

Nec valet dicere, quod licet dentur essentia, & existentia vnite inter se, nihilominus non existit res, quia non datur actus diuinæ voluntatis, quo vult illa existere. Non, inquam, valet ; quia non potest facere, quod datur forma in materia, & quod non datur effectus ; sicut si daretur forma hominis in materia hominis, necessario daretur homo ; (& pone casum in quo per possibile, aut impossibile Deus esset agens natura, vt posuit illum Aristoteles) etiam si non daretur actus voluntatis diuinæ secundum sanam Theologiam ; quia ille solum requiritur quasi antecedenter, vt ponatur forma in materia ; posita autem non potest facere Deus quod non sit homo ; sicut posito peccato in homine, etiam si datur actus displicentia, non ideo homo non est peccator, sed ab æterno datur essentia, & existentia vnite inter se : ergo illis suppositis necessario sequitur quod sit res existens ; sicut ex eo quod ab æterno datur generatio Verbi diuini, etiam si pro illo priori generationis non concipiatur actus paternæ voluntatis, nihilominus datur Verbum æternum, quia hæc omnia, quæ sunt essentialia illius, dantur : ergo etiam si non datur actus voluntatis diuinæ, si ab æterno omnia sunt essentialia rei existentis, necessario dabitur res existens in eo ; quod sequitur manifeste ex contraria sententia ; & quod res necessario existit independentem à libera voluntate Dei, sicut existit Verbum æternum, quod est aperta hæresis ; ex quo etiam sequitur quod homo necessario esset beatus, quia datur necessario visio beata, propter eandem rationem. Prætermittito alia absurda, quæ sequuntur ex prædicta sententia, quæ lumine naturæ sunt nota.

SYBSECTIO. X.

Efficaciter probatur ab inconuenienti nostra Conclusio.

SI essentia Angeli v. g. distinguatur ab eius existentia, Angelus non crearetur à Deo, sed potius educeretur, aut generaretur ; & idem est de anima rationali ; sed hoc est maximum absurdum, tam in Philosophia quam in fide nostra : ergo essentia, & existentia non distinguuntur in Angelo. Maior sic probatur, quia Deus non producit essentiam Angeli, quia per vos est increata, æterna, & à se, & sic ab æterno datur essentia Angeli, (quæ non daretur si produceretur à Deo, in tempore, quia quidquid producit à Deo, in tempore producit, ac proinde ab æterno non datur). Vnde solum Deus producit existentiam Angeli ; ac proinde solum hoc concretum Angelus existens ; sed existentia Angeli quatenus est modus, vel entitas omnino dependens ab essentia tanquam à subiecto materiali, non

non creatur, quia non fit ex nihilo, sed potius educitur ex ipsa essentia tanquam ex subiecto praesupposito; Item vno inter essentiam, & existentiam, non creatur, sed potius fit ex praesupposito subiecto, (ut late probauimus libris de Celo, vbi demonstraui vnionem substantialem non posse creari:) ergo totum Concretum Angelus existens non creatur, sed potius educitur, & generatur. Explicatur hoc exemplo manifeste; Ideo Concretum hoc, equus, vel ignis non creatur, sed potius generatur, & educitur; quia Vno, & formalitas illius educitur, & non creatur, scilicet forma ignis, & anima equi, & vniones earum, etiam si materia eorum non educatur, aut generetur; sed formalitas concreti Angeli existentis non creatur, sed educitur; & idem est de vnione existentiae respectu essentiae Angeli: ergo totum concretum Angelus existens non creatur, sed educitur, & generatur. Videantur reliqua à me posita in *physicis Disput. de materia prima, quaest. Vtrum materia habeat existentiam a se, vel à forma*; Vbi hoc argumentum late proposui; cui sciens, & prudens superledeat, ne actum agamus.

186 Quod autem inconueniens sit in Philosophia, & in fide catholica asserere, Angelum, & Animam rationalem non creari, sed educi, aut generari, patet manifeste ex iis omnibus, quae late adducimus libris de Anima, vbi data opera demonstraui animam rationalem esse creatam ex nihilo. Item ex capite, *Firmiter de summa Trinitate, & Fide catholica, in principio*, Vbi decernitur, Angelos esse creatos ex nihilo, ibi: [Ab initio Temporis de nihilo condidit creaturam spirituales, Angelicam videlicet]. Quid clarius?

187 Aliter probatur nostra Conclusio, quia in accidenti essentia non distinguitur ab existentia: ergo neque in substantia. Consequentia est euidens à paritate rationis, quia non est maior ratio vnus, quam alterius. Probatur antecedens, si existentia accidentis est res diuersa ab essentia; quarendum est, an talis res sit substantia, vel accidens? Non substantia, ut patet; ergo accidens: ergo similiter ipsum inexistit; aut igitur seipso, aut per existentiam à se distinctam? si se ipso, cur non idem de primo accidente dictum est. Si per aliam existentiam, idem rursus de illa quari potest; atque hoc pacto res procederet in infinitum.

188 Declaratur: vel ex essentia, & existentia fit vnum ens per se, vel vnum ens per accidens? Non vnum ens per se; quia ex duobus actibus non fit vnum ens per se; sed essentia est actus, & existentia est actus; ergo ex essentia, & existentia non fit vnum ens per se; hac enim maxime ratione pugnant ipsi contra eos, qui ponunt multas formas substantiales in vno composito.

189 Sin autem ex ipsa existentia & essentia componatur vnum ens per accidens, & non resulter vnum ens per se, cum res existens sit terminus generationis, generatio substantialis terminaretur ad ens per accidens, ac proinde ad plura simpliciter, & non ad vnum simpliciter, quod est expresse contra Aristotelem.

190 Deinde sequitur maius absurdum, quod omnis homo simpliciter sumptus quatenus talis sit ens per accidens. Patet hoc; quia homo simpliciter talis est homo existens; quia homo possibilis est secundum quid talis, existentia enim tribuit esse simpliciter; atqui homo existens quatenus componitur ex essentia, & existentia hominis, est ens per accidens: ergo praeterea: si existentia re differt ab essentia, erunt duo termini per se primi ipsius generationis, cum generatio terminetur ad rem existentem, quod

I. P. Tom. II.

nequaquam fieri potest; vnitas enim numerabilis cuiuslibet motus pendet ex vnitate numerali termini ad quem. Probatur antecedens: nam terminus generationis est forma; vnde Aristoteles formam saepe vocat generationis terminum, & finem, cuius gratia est. Item existentia, etiam est terminus generationis, quia generatio definitur, est mutatio de non esse ad esse, generari est fieri, fieri autem per se terminatur ad esse, quare si esse secundum rem differret à forma & essentia illius, duo essent termini per se generationis.

Vltimo virgetur contra eos qui asserunt existentiam distingui ab essentia ut rem à re, & ut actum absolute realem à potentia reali; quia si existentia ita distingueretur ab essentia, existentia posset existere & permanere sine sua essentia, saltem diuinitus; sed hoc implicat contradictionem: ergo implicat contradictionem quod existentia distinguatur ab essentia ut res à re: maior est certa, in hoc enim distinguitur res à modo, quod modus adhuc diuinitus non potest esse separatus à re cuius est modus, res autem potest etiam debilissima sit, quid enim debilius potest excogitari quam quantitas, albedo & reliqua accidentia, quae ex eo solum quod res sunt & non modi separantur in Eucharistia diuinitus à substantia panis, cuius accidentia sunt, sed per vos existentia est res absolute ac simpliciter distincta ab essentia: ergo saltem diuinitus potest separata existere ab essentia: minor illa prima sic demonstratur, quia implicat contradictionem essentia simul esse essentiam, & non essentiam; sed si existentia esset separata ab essentia, essentia esset essentia simul, & non essentia: ergo implicat contradictionem quod existentia separata existat ab essentia: minor hac sic demonstratur: & imprimis esset essentia, ut supponimus: deinde non esset essentia, quia essentia est id, quod adeo est necessarium, intimum, & vltimum constitutum rei, ut sine illa res nullo modo possit aut esse aut concipi, adhuc diuinitus: v. g. ideo animal rationale est essentia hominis, quia homo neque esse neque intelligi aut concipi possit sine animali rationali, & essentia Dei est Deitas, quia sine Deitate nullo modo potest concipi aut esse Deus, quod adeo verum est ut nulla alia definitio possit tribui essentiae ut essentiae, imo si aliam inuenerunt Adversarij, dicant nobis & assignent, quam certe assignare non poterunt; siquidem hanc solum à nobis traditam cognouit Metaphysica.

Sed per vos existentia posset esse separata ab essentia conseruari, concipi, & intelligi sine essentia, quia quidquid separatum existit ab alio conseruatur, est, & intelligitur sine illo: ergo illi essentiae non conuenienter definitio essentiae: ergo non esset essentia, si posset existentia existere separata ab essentia.

Virgeo amplius: ergo modo de facto quando corrumpitur essentia, non ideo praecise corrumpitur, quia corrumpitur eius existentia (per te enim potest corrumpi existentia diuinitus quin essentia corrumpatur) ergo vltra existentia corrumpitur de facto ipsa essentia; ergo haec non habet praecise esse ens actuale, quod habeat existentiam distinctam, sed etiam à se ipsa intrinsece, efficienter vero ab actione, qua producit, ideoque poterit esse ens actuale sine existentia distincta, ergo & existens sine existentia distincta; quia nihil aliud est ens existens quam ens actuale productum in rerum natura.

Praeterea si existentia potest conseruari sine essentia & non producta essentia: ergo quando producit essentia & ponitur existentia, sola essentia de nouo producit & de nouo fit ens actuale, sed non intrinsece per existentiam, quia haec non est de nouo produ-

producta : ergo per se ipsam formaliter terminat tunc actionem productivam : ergo essentia propter condistincta ab existentia superaddita habet esse actuale in rerum natura. Patet consequentia , quia illud habet esse actuale in rerum natura quod est de nouo à parte rei ; nec potest dici tunc produci de nouo unionem , quia in ipsa unionem habet locum hoc argumentum quomodo scilicet ipsa essentia unionis producat , quod si concedatur semel essentiam unionis per se ipsam solam terminare actionem productivam , & consequenter per se ipsam solam intrinsece esse extra causas & existere , idem dicendum erit de reliquis essentiis.

195 Dices posse separari essentiam ab hac numero existentia & ab illa & ab omnibus diuisione , non vero ab aliqua sub diuisione , & ab omnibus collectiue & hoc sufficere ad eas distinguendas sicut ob similem separabilitatem distinguitur ubicatio & duratio à re ubicata , & durante , ex hac vero separabilitate non sequuntur absurda quæ supra inferebantur.

196 Sed contra primo manifeste , quia ex hoc sequitur essentiam ab æterno esse coniunctam cum aliqua existentia sub diuisione , quia per vos essentia non potest collectim separari ab omni existentia , quando vere datur essentia , sed ab æterno vere per vos fuit essentia : ergo ab æterno fuit cum aliqua existentia : ergo ab æterno existeret essentia hominis v. g. sed non existeret media productione Dei , quia Deus nihil ab æterno produxit sed in tempore : ergo à se ipsa existeret essentia : ergo existeret ut Deus sine illa causa : ergo est Deus quæcumque essentia ; sed hoc est hæreticum : ergo falsissima est solutio aduersariorum.

197 Secundo contra , quia essentia est res absoluta ac simpliciter , item existentia est res absoluta ac simpliciter & non modus : ergo essentia non solum diuisione sed etiam collectiue potest separari ab omni existentia , & existentia ab omni essentia ut videre est in accidentibus Eucharistiæ , quæ non solum diuisione , sed etiam collectiue separantur ab omni substantia quia sunt res & non modi , etiam si sint res imperfectissimæ.

198 Tercio contra , quia adhuc manet tota difficultas ut optime notauit Arriaga. Rogo enim an quoties mutatur existentia mutantur actiones productivæ essentia an non ? si non mutantur : ergo manet conservatio eadem essentia variatis existentis : ergo essentia ut condistincta ab existentia terminat actionem productivam distinctam quæ ponitur extra causas : ergo etiam ut condistincta ab existentia existit. Si vero mutantur productiones circa essentiam : ergo quia non manet eadem numero essentia actualis modo quæ antea , quod est contra suppositum. Sequela patet , non secundum mea principia sed secundum principia Thomistarum , cum quibus pugnamus , quia si essentia actualis est eadem modo quæ antea , ut quid debet variari actio terminata ad ipsam essentiam cum habeat nunc eundem terminum quem antea ?

199 Et si dicas illam actionem variari eo quod terminetur ad existentiam quæ mutatur & variatur.

200 Sed contra , quia id repugnat , cum enim in vestra sententia existentia educatur ex potentia essentia , sic necessario ut actio qua producit existentia debeat dependere ab essentia & causari ab ipsa tanquam à subiecto educationis , si autem ex alia parte ea actio sit eadem cum ea qua ipsa essentia producit , sequetur rursus essentiam esse causam actionis primo productivæ sui ipsius , & consequenter esse causam sui , quod nequæ à se neque ab alio conceditur , sed ab

omnibus negatur. Deinde quia licet posset per eandem actionem produci essentia & existentia adhuc illa actio habebit duos terminos vere productos extra causas & habentes entitates actuales distinctas , & consequenter quilibet propter condistinctus ab alio existet ut supra asseribamus ; unde non est necesse ut ambo per unam terminus permanens est ; alius successus ; nam si concedatur duas res vere produci , & duas res verè de nouo esse in rerum natura , nulla res poterit proprie creari ut supra diximus.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

Ad loca sancti Hilarii , & Boëtii , respondeo locis. **A**cutos fuisse hos Doctores de distinctione reali inter essentiam actuale & substantiam creatam quam nos fatemur distingui à parte rei. Hilarius vero dum existentiam creatam vocat accidens , non intelligit existentiam esse accidens physicum , sed solum metaphysicum , comparatum quidem non cum essentia actuali , sed cum essentia possibili , quia tali essentia ut possibili concepta accedit existentia actualis etiam si non accidat essentia actuali ; quia identificatur cum ipsa adhuc per rationem ut *quest. sequenti* dicetur , vel si vis responde eodem modo ad diuum Hilarium in hac locutione ac responsum est ad Boëtium Severinum , dicendo diuum Hilarium locutum fuisse nomine esse non de existentia , sed de substantia , ut patet ex toto contextu lib. 6. de Trinitate , ubi sape substantie vocat esse diuus Hilarius.

Ad loca diui Thomæ facili ab aliquibus exhibetur responsio respondendo Angelicum Doctorem oppositum nostræ sententiæ docuisse , ab ipsoque recedendum esse necessario in hoc negotio , neque posse in omnibus præcipue philosophicis rebus vestigiis tanti Doctoris insisteri.

Verum in re gravi non est tam facile & clare recedendum à diuo Thomæ , sed potius aliqua querenda est verborum eius explicatio. Unde multum probato auctores illos qui Angelicum Doctorem quoties esse distinguit ab essentia in creatis volunt intelligendum non de esse existentia , sed de esse substantia quod ex natura rei distinguitur ab essentiis rerum præsertim libro contra Gentes , cap. 52. & 53. ubi probans ex insinuatione in creatis compositione ex natura , essentia & esse , per esse intelligit ibi substantiam ut patet ex iis verbis quæ ab ipso Angelico doctore profertur cap. 52. citato [illud igitur quod est substantia (per suam essentiam) non potest esse nisi unum tantum ; ostensum est autem quod Deus est suum esse substantia , nihil igitur præter ipsum potest esse suum esse] (hoc est) substantia. Eodem modo loquitur de esse personali & substantia tertia parte , *quest. 17. art. 2.* ubi conuertit esse cum substantia , & meo videri prima parte , *quest. 6. art. 3. ad 2.* qui est locus adductus contra nos ab aduersariis , eodem modo loquitur , ac proinde eodem modo explicandus est.

Alij Doctores aliam explicationem vniuersalem tribuunt huic loco & aliis diui Thomæ dicentes , quotiescumque asserit existentiam distingui realiter ab essentia locutum fuisse non de essentia actuali , sed de essentia possibili ; & ratio est manifeste , quia diuus Thomas ideo asserit existentiam distingui à parte rei ab essentia , quia essentia est omnino necessaria à se fundans propositiones æternæ veritatis : at qui essentia actualis quatenus actualis nullo modo est necessaria à se , sed potius est contingens & li-